



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Contra tentationes ex tristitia, horrore, timore.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Contra tentationes ex tristitia, horrore, timore.

SI tristitia me invadit ex corporis infirmitate, dicam: Calix est, quem dedit mihi Pater, an non bibam illum? si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, exiguum & mihi hunc in finem perferendum est. Si invadit mortis horror, cogitabo mortem esse inevitabilem, nec tantum faciendam esse ex necessitate virtutem, sed & ex tentatione ista proventum perfectam in divinam voluntatem resignatione. Si timor futurorum exagitat juxta illud. *Non timeo mortem, timeo, quae fata sequuntur.* Omnes inde provenientes angustias submergam in mare rubrum passionis & sanguinis Christi.

In tentationibus contra fidem, spem, & ob peccata praeterita.

TESTE Bellarmino maximae in moribundo vel morti proximo tentationes sunt contra virtutes theologicas. Si ergo tentabor in materia fidei. Arripiens generale scutum fidei sine ulla ad Dæmonis suggestiones reflexione, vel directâ responsione simpliciter dicam: Volo vivere & mori in fide Romano-Catholica. Credo quidquid dixit Deus, & vera ejus Ecclesia tanquam Dei verbum proponit credendum.

Si spem & fiduciam conatur Dæmon subvertere aut imminuere. Dicam peccata mea super numerum arenæ maris, sed major Dei misericordia, quia infinita. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus luculentissimis ostenderunt argumentis,